

equum sit, deus noscat et homines. Quantum itaque volans fama me docuit accipio universitatis suppositis esse vetitum, ne quopiam modo lectiones vel exercitia vel resumptiones ex me audiant vel quomodolibet conversentur in artibus aut in hac mea oppressione consilio mihi sint vel auxilio quemadmodum penam non promotionis in artibus ad biennium volent evitare. Sentiens itaque ego Wernerus Costfeldie iam sepius 5 me semper cum gravaminis fenore gravatum denuoque iam gravatum et verisimiliter in futurum plus posse gravari timeo prioresque appellationes nullum mihi levamen prebentes simul cum ista devolvens, ad sanctissimum in Christo patrem et dominum, dominum Paulum sacrosancte Romane et universalis ecclesie summum pontificem et eius sanctam sedem apostolicam in dei nomine provoco et appello in hiis scriptis, subiiciens 10 me et causam meam et statum et qualitatem cause mee cum omnibus et singulis mihi adherentibus et adherere volentibus tuitioni, protectioni et defensionis dicte iurisdictionis sancte apostolice sedis, petoque apostolos primo, secundo, tertio, instanter, instantius instantissime, si quis sit qui mihi eos dare velit aut possit, aut saltem a te notario publico litteras posco testimoniales et requiro protestorque eam appellationem prosequendam, insi- 15 nuandam, ubi et quando fuerit oportunum salvo iure addendi, diminuendi, emendandi, prout stili est et moris, qua appellatione interposita sic legitime, cedula copiam prefato domino decano dare voluit quam accipere recusavit dumque apostolos petiit in hec verba predictus dominus decanus prorupit: „Appellationem vestram dico frivolam et nullam“! Que quidem verba idem appellans pro apostolis assumpsit. Super quibus omnibus et 20 singulis supradictus magister Wernerus me notarium subscriptum cum debita instantia rogavit et sollemniter requisivit, quatenus sibi super hiis unum vel plura tot denique quot sibi fuerint necessaria conficerem instrumenta. Acta sunt hec anno, indictione, die, mense, pontificatu, loco et hora quibus supra, presentibus ibidem discretis viris Hinrico Ludnickqusin, Nicolao Hagen, Iohanne Ferbaß, Iohanne Ramsan, clericis Monasteriensis, 25 Myndensis, Aberdonensis dyocesium ad premissa vocatis, rogatis pariterque requisitis.

Et ego Gerhardus Plekenpol de Wentersinck clericus Monasteriensis dyocesis, sacra imperiali auctoritate notarius publicus, quia premissis omnibus et singulis dum sic ut premittitur fierent et agerentur, una cum prenominate testibus interfui eaque sic fieri vidi et audivi, ideoque presens publicum instru- 30 mentum per alium fideliter conscriptum me aliis prepedito negotiis exinde publicavi et in hanc publicam formam redegi signoque, nomine et cognomine meis solitis et consuetis signavi in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum vocatus, rogatus pariterque requisitus.

*Joachim von Narni, Consistorialadvokat, bittet den Auditor der päpstlichen Curie, Gaspar v. Theramo, die Entscheidung in Sachen des Magisters Werner Tegeders von Costfeld und der Artistenfakultät dahin zu treffen, daß letztere den Magister Werner zu Lektionen, Disputationen etc. wiederum zu- lassen und ihm 400 Gulden Schadenersatz zahlen solle.* [1465.]